

CONCLVSIONES THEOLO

GICÆ EX DOCTRINA SVBTILIS SCOTI, SERAPHICI BONEVENTVRÆ, ALIORVMQVE THEOLOGORVM, ACTORAMENTIS DE PROMPTÆ.



QVÆSTIO MATVTINA:



An Christus Dominus per opera quæ cepit facere, & docere à Resurrectione, usque ad Ascensionem condigne meruerit?



QVÆSTIO VESPERTINA.




An etiam in triduo separationis eius anima meruerit?



VTRIQVE RESPONDEBITVR AFFIRMATIVE in hoc Sancti Francisci Conuentu. Die mensis Ianuarij, anno Domini.

1682.



VNDIQVE MICANTI

SPLENDENTI LUMINI PHÆBO, QVO
rutilant populi, quo turba Minorem Ordine. quo
florent quæque Theatra suo. R. A. P. N.
Fr. IOANNI CHVMILLA.

SACRA IN THEOLOGIA LECTORI IV-
bilatione laureato, totius eruditionis ornamento coruf-
canti, virtutum omnium aggregatione præclaro. Almaz
Cartaginenfis Prouinciæ iam pridem è vigilantissimo
Præfuli, & nunc noſtræ Iacobæ cum plenitudine potef-
tatis Comiffario Viſitatori, vicemque generalis
Miniftri faliciter agenti Sereniſſimo, pa-
riterque Equiſſimo Patri.


*Cuius ſupplex plantis, me, hos que impono labores,
Quos, ut quiſque legat, me ſciat eſſe ſuum.*

NON potui certè, Reuerendiſſime Pater, illuſ-
trioſiorem te huic meo labori Patronum quæ-
rere, nec faciliorem, quam tuo nomini con-
ſecrationem aditum parare, quod, & operi ſplendorem
afferet, & lectorum animos inuitabit. Plus enim ac
elegantius hoc vnum, vel mutum dicet, quam omnes
quibus abundare poterat opus, paginæ validis vocife-
rentur clamoribus. In te nanque doctrina ſolida, eru-
ditio multiplex, exquiſita prudentia, præſpicax inge-
nium, maturum iudicium, aſſiduum ſtudium: expli-
can-

candi facilitas adeò prompta, vt quo cogitationem con-
feras, eò veritas quoque propendeat, sapientia præcur-
rat, & securitas committetur. Nihil in iudicando das
gratiæ, omnia iuri, cuius propugnacula adeò vehe-
menter in te nituntur, & à te conserbantur, vt nemo ad
te minus audeat probabilem afferre causam, nec præsen-
tare sententiam. Quod veritate de finis, scientia pro-
bas, lance prudentiæ ponderas, ac virtutis nitore concilia-
st. Illud mirandum, quod cum tot tantamque nego-
tiorum molem expedias, quasi nihil ponderis sentire
videaris: Athlantis instar, qui Cœlo incumbenti non
subcumbis, Minoriadum Cœlum sustinendo circun-
fers, omnemque in partem versans radios effundis reli-
gionis, doctrinæ fulgore illuminas, omnimoda inquam
religionis formositate, omnium in te rapis dulciter
oculos; omnium corda charitatis ardore foues, sereni-
tate demulces, morumque integritate integras. Tot
tamque insignes dotes, splendidæ virtutes, præclaraque
ornamenta, quò auidius intus detinentur, eò fortius fo-
ras eminent, & erumpunt in publicum: quarum medeo-
critas medium hebet in excessu, præ magnitudine ani-
mi, qui nec limitibus circumscribitur, nec angustijs ter-
minatur, & quod in alijs excessus esset, in te medijs vi-
cem hebet. Iam vero ad rem proprius dicam, literatos
viros quanta venebolentia prosequeris, quanto amore
compecteris, quanto animo fulcis? Testis erit fidus
doctorum sacra caterua, & pietas pariter, qua sibi sem-
per ades. Similem cum non habeas quasi similes quæris
ex Illustrissima non minus nobilitate antiquata, quam
do-

doctōrum fœcūda officina virōrum **Chumillarum** stirpē
Nobilissimus **Mæcenas**, & vltra **Mæcenatem** doctus,
litteras excitas, litteras ornas, litterarum recessus decu-
rris, succum auris, ornamenta multiplicas, & augere
contendis; litterarum medulas semper ebibendo, viuis,
& viues in ævum, nam sapiens nunquam moritur, si
quidem *clara est, & que nunquam marcescit sapientia*. Eo ani-
mo ad te conuenimus, vt ex tuis fontibus, sapientiæ li-
cores ebibamus, & ex te discere possimus: Ad te con-
currunt docti, & indocti, vt à te doceantur, & à te pro-
tegantur. illi exempla, tu idea sapientiæ, cui qui apro-
ximatur propior est sapientiæ, & protectioni, præstas
enim, & protectorem, & præceptorem. Has ergo Re-
uerendissime Pater, quas è doctrina Subtilissimi Maria-
ni Doctōris Scoti, Angelici Magistri **D. Thomæ**, Se-
raphici **Bonzuenturæ**, Eximij **Suarez**, pariter, & **Baz-
quez** Præceptorum fundamentis Consultis, ac Sancto-
rum PP. Sacræ in super Scripturæ testimonijs erui-
mus, & excusimus conclusiones vt probabiles, omni-
que (vt putamus) nouitate, licet nouiter combinatas,
carentes, & scrupulositate vacantes, protege, luce ve-
ritatis à tenebrarum confusione, in qua hac tenus iacue-
runt segrega, ab obscuritatis caligine separa, à silen-
tij taciturnitate, euindica, enubila splendore subtilissi-
mæ sapientiæ tuæ vt tuo examinatæ iudicio feliciter in
lucem prodire valeant. Quas & se ipsam. **D. C. O.**

Fr. IOSEPHVS BENEDICTVS.



CONCLVSIONES THEOLO
GICÆ EX DOCTRINA SVBTILIS DOCT:
SCOTI; SERAPHICI BONAVENTVRÆ,
ALIORVMQ; THEOLOGORVM
DE PROMPTÆ.

Q. P. D.

An Christus Dominus post mortem meruerit?



ARS negatiua adeo communis est inter Theo-
logos. vt nullus quem viderim, hucusque
affirmatiuæ suffragium dederit. Qua prop-
ter ab eorum communi torrente deuiare nõ
mirum, si alicui primo intuitu, aliqua teme-
ritate dignum videatur; quia in materia dog-
matica, ponderosoque negotio, singularitèr
loqui, vel plerumque odium parit. vel teme-
ritatem sonat. Veruntamen, quia militum audacia aliquando iter
fortitudine feliciter patefacit, non abs re erit in litteraria congre-
sione intellectus habenas audaciter [illeso semper Sanctæ Eccle-
siæ, Fideique Orthodoxæ iudicio] disputationis gratia, examinan-
dæque veritatis causa laxare. Hoc animo impulsus Ecclesiæ, Fi-
dei que iudicio submissus, nouum iter ascendo, quia dat mihi ratio
vires, Scriptura Sacra iuuamen, Ecclesia fulcimen, Patres moti-
uum, & Theologia fundamentum. Quibus præmissis.

PVNCTVM PRIMVM.

Quæstionis titulus explanatur.

PRænoto, quod quæstio multiplicem sensum habere potest: Primus est an Christus Dñus meruerit in vulneratione sacri sui lateris, post mortem facta? Quo in sensu Theologi plures negant, pauciores verò affirmant, eo quod Christus talem vulnerationem præuissam, dum viueret liberè acceptauit, Patrique obtulerit, quæ ratio etiam probat de tumulatione sui corporis, iniurijs, ac blasfemijs, quæ ei pendent in Cruce irrogata fuere; siquidem etiam præuissæ, & acceptatæ fuerant à Christo Domino viuente.

Secundus sensus est, an Anima illa benedicta in triduo separationis à corpore descendens ad Lymbum, spoliandq; Principatus, & Potestates & in ipsa Resurrectione meruerit? Tertius sensus est, an à Resurrectione vsque ad Ascensionem, actualemque Empirij ingressum per illa opera relata à Sancto Euangelista Luc. Act. Ap. cap. 1. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ò Theophile, quæ capit Iesus facere, & docere vsque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum quos elegit assumptus est.* Meruerit de condigno, & rigurose?

Quartus sensus est, an defacto nunc sedens ad dexteram Patris mereatur nobis aliquid, iuxta illud Pauli ad Roman. cap. 8. *Qui etiam interpellat pro nobis?* In quo sensu fateor Christum non mereri propriè loquendo de merito. Vnde solum disputo in secundo & tertio sensu, inquirens nimirum an terminus meritorum Christi Domini fuerit præfixus, & finitus in ipsa morte, ita vt postea nihil amplius meruerit propriè loquendo de merito; an vero in ipsa Ascensione, siue actuali Cœlorum ingressu?

Prænoto 2. quod meritum, & satisfactio multifariè differunt. Primo in eo quod meritum respiciat præmium, & præmiatorem sub ratione acceptantis, & promittentis, satisfactio verò respicit debitum persoluendum, & offensam diluendam. Secundo in eo quod licet omnis satisfactio sit meritum, non tamen è contra omne meritum est satisfactio, quia Beata Virgo Mater Dei verè pro se meruit, non tamen satisfecit, quia non habuit de quo; idem de Christo dicendum. Item quia Beati possunt iuxta probabilem opinionem mereri sibi augmentum gloriæ accidentalis non tamen satisf-

fatisfacere. Denique Adamus si non peccasset in Paradiso terreftri proculdubio mereretur, non tamen satisfaceret, quia nō haberet de quo satisfactiōem deberet. Tertio in eo quod satisfactiō secundum Doctorem Seraphicum in 4. dist. 15. art. 2. q. 3. & in 3. dist. 20. q. 5. semper fit per opera pœnalia, meritum verò fit etiam per opera non pœnalia, qualia sunt gaudium, & complacentia de bonitate Dei, & proximi, quæ à carne passibili non dependent. Vnde satisfactiō requirit necessario passibilitatem carnis, in qua exerceatur aliqua pœna, seu punitio peccati, meritum verò nequaquam hoc requirit, sed potest haberi sine passibilitate independenterque ab illa existere. Ex quo clarè inferitur Christum Dominum post mortem, id est, post quam factus est impassibilis secundum Corpus, & Animam nihil ampliùs satisfecisse pro nobis, quia tunc sublata passibilitate, consequenter status satisfaciendi defuit. Quæ omnia valde notanda sunt.

Prænoto tertio, quod præcipuum Theologorum fundamentum ad asserendum Christum post mortem amplius non meruisse, est, quia iam non erat ulterius viator, subindeque extra statum merendi existebat; item quia indiscriminatè loquuntur de tempore quo Christus post Resurrectionem, vsque ad Ascensionem, mansit inter homines, ac de tempore quo post Ascensionem sedet ad dexteram Patris. Ego autem inter vtrunque tempus magnum reperio discrimen, sicut etiam inter statum merendi pro Christo D. determinatum, & pro alijs hominibus, vt ex dicendis apparebit.

PVNCTVM SECVNDVM.

Conclusio statuitur, & probatur ex Scriptura.

I. Conclufio. **C**HRIſTUS Dominus per opera, quæ cepit facere, & docere post Resurrectionem per quadraginta dies apprens hominibus, & loquens de regno Dei de condigno meruit. Probatur primo. Ideò prædicta opera non fuissent meritoria de condigno quia non erant hominis Dei viatoris, & passibilis existentis intra statum merendi: sed nec status viatoris defuit nec passibilitas carnis ad merendum de condigno, in Christo necessaria fuit; quia ista solum ad satisfaciendum pro peccato per opera pœnalia requiritur, ergo meruit Christus Dominus

minus per illas actiones de condigno, & rigurose. Discursus continet totum difficultatis cardinem, & minor in qua tota est difficultas. Probatur primo. Quo ad primam partem quia status merendi non ex natura rei, sed ex diuina ordinatione requiritur secundum Scotum, aliosque plures Theologiae DD. & tandiu durat, quandiu Deus ordinat, & secundum alios quandiu praemium non est totaliter assecutum: sed Deus ordinauit statum merendi in Christo D. ab instanti conceptionis, vsque ad Ascensionem, ergo vsque tunc meruit. Probatur minor ex Psalmo 18. vbi sic de Christo, eiusque statu viali loquitur Regius Propheta: *Exultauit, vt gigas ad currendam viam, a summo caelo egressio eius, & ocurso eius vsque ad summum eius,* quem versus omnes Sacri Expositores, & Patres, intelligunt de egressione Christi a Patre, & regressione ad Patrem. Hebraei enim (teste Lorino) legunt: *Exultauit ad currendam viam suam,* quam etiam aliqui Patres vocant itinerarium Christi; ex quo sic: in hoc testimonio Scripturae declaratur via, seu status vialis Christi, cuius principium ponitur ab instanti conceptionis, quod est idem, ac instans egressiois de caelo; & terminus ponitur in actuali caelorum ingressu, vt patet ex illis verbis: *Et ocurso eius vsque ad summum eius:* Verit enim Incognitus, a summo caelo egressio eius, & regressio eius vsque ad summum eius: ergo Christus Dominus vsque ad Ascensionem fuit in statu merendi disposito per diuinam ordinationem, subindeque defacto Deus taxauit statum merendi in Christo Domino duraturum vsque ad actuale caelorum ingressum. Confirmatur, & roboratur, quia tandiu quis meretur, quadiu status merendi ordinatus a Deo, siue sit extra, siue intra carnem passibile durat: sed status vialis Christi ordinatus est ab instanti conceptionis vsque ad instans ingressiois caelorum (vt expressè manifestat Regius Vates) ergo Christus Dominus per opera facta post Resurrectionem vsque ad Ascensionem meruit; impassibilitas enim post mortem, quamuis impediret merita per opera pœnalia, non tamen per opera amoris Dei, & creaturarum, vt patet in Enoch, & Elia, qui secundum probabilem opinionem, merentur de condigno in Paradiso terrestri, & tamen nihil corporaliter ibi pœnant, & in Adamo, qui si non peccasset mereretur in eodem Paradiso absque passibilitate carnis, quia tunc esset immortalis, & impassibilis. Confirmatur secundo, quia secundum Doctorem Seraphicum Bonauenturam in 3. dist. 18. art. 1. q. 2. Alensem 3. p. q. 17. art. 2. Gabielem q. 7. art. 1. Durand. q. 2. status merendi, seu vialis est quandiu praemium non

non est assequeum: sed præmium promissum meritis Christi non fuit assequeum totaliter vsq; ad actualem Empirij Ingressum: ergo vsque tunc meruit Christus Dominus. Maior est doctrina probabilis, minor verò efficaciter ostenditur, quia appertio ianua cælestis fuit præmium promissum meritis Christi, taliter quod secundum Scotum ad appertionem eius non potuit cooperari meritum alicuius creaturæ: sed tale præmium non fuit per solutū, aut concessum vlli viuentium vsque ad triumphum Ascensionis Christi: ergo Christus fuit in via ad tale præmium, quandiu in hoc mundo permansit, nam licet Animæ Sanctorum Patrum statim post discentum Animæ Christi ad Lymbum habuerint vlsionem, & fruitionem beatificam, non tamen Paradisum localem, sicut nec etiã ipse Christus Dominus, qui in ingressione illius cælestis Palatij meruit Principatum tenere. Tota hæc Doctrina roboratur testimonio Sancti Cyrilli habito in Concilio Ephesi. tom. 6. cap. 172 vt citat, Suarez, sic dicentis: *Cum Christus Incarnationis economiam consumasset cælos ascendit.* Quæ verba expresse denotant economiam Incarnationis vsque ad Ascensionem durasse, subindeque meritum illius, non enim videtur congruum ponere Christum ex magna charitate, & dignatione operantē inter homines ante regressum ad Patrem sine merito, & nihil aliud est economiam Incarnationis consummare, quam adimplere curam, & legislationem circa homines redemptos. Confirmatur 3. Christus meruit sui nominis exaltationem, & nostram in sui nominis fide confirmationem: sed hæc exaltatio, & confirmatio non videntur fuisse totaliter assequeum vsque ad Ascensionem: ergo vsque tunc duravit status merendi respectu illarum in Christo. Minor probatur ex Diu. Paulo dicente: *Si Christus non resurrexisset innanis esset spes nostra.* Sed idè innanis esset, quia tunc non satis manifestum foret esse redemptorem nostrum, verumque Deum, & hominem, eum qui passus fuerat in cruce, & consequenter fides nostra infirma maneret. Tum quia (vt ait D. Bonau. in 3. dist. 22. q. 6. n. 4. Resurrectio Christi & eius Ascensio differi debuit propter nostræ fidei confirmationem: *Ideo enim dilata fuit Resurrectio, vt ostenderetur, quod Vere mortuus fuerit; & ideo dilata fuit Ascensio, vt per multa argumenta ostenderetur quod Vere resurrexisset, iuxta illud Act. cap. 1. præbuit se ipsum in multis argumentis apprensus eis, & loquens de Regno Dei.* Si ergo hæc opera, & argumenta deficerent fides nostra teperet, & periclitaretur, consequenterque exaltatio Christi, quæ in hoc consistit, quod

verè credatur, & cognoscatur filius Dei, & hominum Redēptor, ac gloriator. Confirmatur 4. quia, vt ex Sanctis Patribus, & Scriptura probat Pitigianus in 3. dist. 19. q. vnic. art. 6. Appertio ianua Coelestis fuit praesignata in Baptismo Christi: apperta quo ad primam stolam, siue quo ad Paradisam Spiritualem in morte Christi: in Resurrectione vero fuit apperta praedicta ianua quo ad secundam stolam, id est, gloriam corporalem, canente Ecclesia in collecta illius diei: *Deus, qui hodierna die per Vnigenitum tuum aeternitatis nobis aditum deuicta morte reuerasti, &c.* In Ascensione autem apperta fuit Ianua Coeli, siue Paradisi localis, animabus, & corporibus conuenientis: ergo vsque ad hanc ultimam appertionē fuit Christus in statu merendi, si verum est quod iste status tandiu durat, quandiu praemium non est assequutum. Confirmatur 5. exemplo D. Anselmi, lib. 2. Cur Deus Homo cap. 16. adducto ab Scoto in 3. dist. 19. q. vnica. Demus enim quod omnes Ciues vnus provinciae suum Regem offenderint, propter quod Rex statuit non admittere vllum illorum intra Palatium suum. Venit tunc vnus de sanguine illorum innocens, & promittit se facturum Regi aliquod gratum seruitium, vt offensam dimittat genti suae. Tunc Rex acceptat seruitium demittendo offensam, protestando tamen, quod nullus eorum Palatium suum intret, quo ad vsque obsequium promissum actualiter completum, & exhibitum sit. Ita, inquit Anselmus, fecit Deus cum Adamo, & eius posteris, pro quibus Christus innocens de sanguine illorum obtulit pretium redemptionis; **tunc sic.** sed nullus intrauit Palatium Dei, nisi post Ascensionem Christi: ergo signum est, quod seruitium promissum à Christo non fuit vndequaue completum, quo ad omnes circumstantias, vsque ad Ascensionem.

Confirmatur 5. Altero exemplo ad rem fatis idoneò. Esto quod Rex mittat filium suum ad reparandam aliquam provinciam, ab alio fraudulenter, & tiranicè occupatam; & filius Regis istius in conflictibus contra hostes, vulnera lethalia accipiat: nihilominus tamen feliciter triumphauit; posteaque valetudine recuperata, permansit apud incolas illius provinciae, eos informando, & leges viuendi statuendo, vt firmiter in obedientia sui Regis persistant. Siquis tamen iterum captiuus fiat promittit se facturum cum Patre de venia. Quis dubitat quod iste Princeps ex tempore, quo egressus fuit, à latere patris, non solum fortiter demicando in castris, **sed etiam post partam victoriam, res bene componendo, & leges**
con-

condiendi, vsque ad regressum ad patrem meruerit? Sed hoc totum contigit in Christo Domino, qui missus fuit à Patre ad restaurandum genus humanum fraudulenter à damone captiuum, & post partam victoriam per Crucem, commoratus est apud homines, per 40. dies apperiendo eis scripturas, loquendo de regno Dei, docendo, verbis & factis, leges, sacramenta, ministros, & iudices eligendo, modumque administrandi redemptionem disponendo: ergo meruit per hæc omnia. Cuicumque enim egredienti de loco suo, ad laborandum pro alijs debetur merces, non solū pro tempore, quo desudando seruit, sed etiam pro tempore egressionis, & regressionis ad locum vnde exierat.

Probat 2. Tota precedens doctrina ex alio Diui Pauli testimonio cap. 10. ad Hebr. de Christo sic dicentis: *Iste autem cum vnā pro peccatis obtulisset hostiam in perpetuum sedet in dextera Patris, de cætero spectans, &c.* In quibus expresse videtur denotare terminum meritorum Christi fuisse consummatum in ipsa sessione ad dexterā Patris, de cætero enim spectat retributionem suorum meritorū: ergo vsque tunc durauit via signata a Dauid, & à nobis hucusque declarata, quod patet ex Glossa ordin. super illa verba de *Cætero*, vbi explicat, id est, *de eo quos restat, scilicet gloria bonorum, & pœna malorum*; si ergo facta Ascensione quod restat est gloria bonorum, & pœna malorum sequitur, quod in Ascensione fuit completus cathalogus meritorum Christi idem patet, ex Glossa interlineali, & ex Lyra sic explicante *in sempiternum sedet*. Christus autem non fuit minister nisi in vnica oblatione, qua peracta sedet in dextera Patris, vt Dñs de cætero expectans, & hoc implebitur in finali iudicio, sicut expositum est supra: vbi notanda sunt illa verba: *Vnica oblatione, qua peracta sedet*, quæ denotant oblationem Christi nō fuisse completam, vnde quaque nisi quando dexteram Patris tenuit, si enim ibi fuit peracta, sequitur quod antea nondum erat peracta. Idem etiam patet ex Deslorgio, & alijs exponentibus, quod sedere est signum quiescendi ab opere iam consumato.

PVNCTVM TERTIVM.

Ex Ecclesia, & Patribus eadem Doctrina suadetur.

IN primis Ecclesia Spiritu Sancto edocta, petit in Rogationibus
Diui-

Diuinam misericordiam, non solum per Incarnationem, Natiuitatem, & mortem Christi, sed etiam per Resurrectionem, & Ascensionem eius, non autem per sessionem in dextera Patris, nec per Aduentum ad iudicandum, de quo dicit, in die iudicij libera nos Domine: ergo sentit Christum meruisse in Resurrectione, & Ascensione, aliisque operibus vsque ad illam factis. Suadetur consequentia, quia petere per passionem Christi, Incarnationem, Natiuitatem, &c. idem est, ac interponere meritum Passionis, Natiuitatis, &c. Ergo a paritate petere per Resurrectionem, & Ascensionem, idem est, ac interponere meritum Resurrectionis, & Ascensionis. Nec valet si dicas, quod etiam Ecclesia petit per Aduentum Spiritus Sancti, qui proculdubio non meruit in tali Aduentu, quia non habebat in quo: ergo ex paritate facta nihil suadetur. Respondeo enim, quod in tali Rogatione, idest, per *Aduentum Spiritus Sancti paracliti*; sensus est idem, ac dicere per amorem quo meruisti Spiritum Sanctum ad nos mittere, qui iuxta plures Theologos Christus meruit missionem Spiritus Sancti ad nos, quæ pro formali dicit respectum ad extra.

EX PATRIBVS.

PRæter autoritatē Cyrilli iam adductam multæ aliæ se se offerunt. Prima est Sancti Gregorij Papæ Hom. 29. de Ascensione vbi sic: *Magnopere dilectissimi fratres, in hac solemnitate pensandum est, quia deletum est hodierna die Chyrographum damnationis nostræ mutata est sententia corruptionis nostræ; & antea dixerat: humanitatem Christi in Ascensione fuisse exaltatam.* Ex prioribus verbis sic arguitur: chyrographum damnationis nostræ fuit deletum in Ascensione Christi, sed hoc non potest verificari, nisi de chyrographo circa appertionem ianuaræ cælestis, siquidem chyrographum de gloria animæ, & corporis fuerat iam deletum in Passione, & Resurrectione Christi, vel saltem intelligitur de deletione consummata: ergo vsque ad Ascensionem fuit Christus in statu merendi respectu huiusmodi deletionis, & mutationis sententiæ, Hoc idem inferitur ex secundis verbis, quia si humanitas Christi fuit exaltata in Ascensione: ergo vsque tunc non erat consummata exaltatio eius, & consequenter Christus in via respectu huiusmodi exaltationis.

Secundo

Secundo, idem sonant Verba Augustini, Serm. 17. de tempore dicentis: *Ascensio ergo Domini Catholicæ fidei confirmatio est: Itē ibi: mors Christi nos viuificauit, Resurrectio nos erexit, Ascensio nos consecrauit: tunc sic, sed mors Christi in genere causæ meritoria nos viuificauit: ergo in eodem genere Resurrectio nos erexit, & Ascensio nos consecrauit, quia utrobique in eodem sensu intelligi debet August.*

Tertio Leo Papa, Serm. 2. de Ascensu, sic loquitur: *quo, ordine Diuinorum operum nos fundati, nos ædificati, ut mirabiliter fieret gratia Dei, Fides non deficeret, spes non fluctuaret, Charitas non exeret; & in eodem Serm. ait: Hanc fidem Ascensione Domini auctam, & Spiritus munere reboratam; item super illud nolime tangere nondum enim ascendendi ad Patrem, ait Leo: Nolo ut ad me corporaliter venias, nec me sensu carnis agnoscas ad sublimiora, te differo, maiora tibi præparo: inquiri nunc in quo genere causæ verificetur illud maiora tibi præparo? Si in genere causæ meritoria: ergo adhuc merebatur Christus quando post Resurrectionem hoc dixit Magdalenæ. Item Serm. 1. de eodem Myfterio ait: quod numerus quadraginta dierum fuit sacratissima ordinatione dispositus ad utilitatem nostræ eruditionis, ut fides Resurrectionis documentis necessarijs muniretur: ergo si sic dispositus, & aliunde necessarius ad confirmandam fidem, quare sine meritis cum aliunde non repugnet, & magis gloriosius sit cum meritis? Dices quod in principio illius 2. Serm. idem Sanctus Pater ait: *Sacramentum dilectissimi, nostræ salutis, quam sanguinis sui præcio vniuersitatis conditor stimauit à die corporalis ortus, vsque ad exitum Passionis per dispensationem humilitatis expletum est, & licet multa in forma etiam sermō diuinitatis signa radiauerint, proprie tamen illius temporis actio, ad demonstrandam suscepti hominis pertinuit veritatem: in quibus videtur docere meritum nostræ salutis expletum fuisse in Passione, cætera vero postea facta fuisse ad veritatem assumpti hominis manifestandam non tamen meritoria. Respondeo, quod aliud est loqui de merito satisfactorio, & necessario, ad redemptionem, aliud vero de merito ad illam confirmandam, primum in passione, secundum in Ascensione fuit consummatum.**

Vltimo Chrysostomus Serm. de Ascensione sic de Anima Christi loquitur: *Quæ hodierna die meruit omnibus excelsior reperiri: ergo meruit in Ascensione, hoc enim denotat ly meruit, nā si tunc fuit Christus vltimo exaltatus apperiendo ianuam cælestem ad cuius refectionem nulla pura creatura potuit cooperari, ut ait Scotus in 3. dist. 19. sequitur quod adhuc erat in via respectu illius*

referationis, & exaltationis. Nec sufficit dicere quod hoc non erat mereri, sed præmium suorum meritorum recipere? Quia contra est quod status merendi durat quandiu præmium non est affectum iuxta D. Bonau. & alios iam citatos Authores, quod à fortiori concedere debent quotquot asserunt Angelos mereri gloriam accidentalem per obsequia erga homines, qui sunt in via respectu illius gloriæ nondum assecutæ: ergo si Christus adhuc erat intra illam viam, à David signatam, adhuc merebatur.

PVNCTVM QVARTVM.

PROBATVR SECVNDA PARS

PRIMI DISCVRSVS.

QUOD passibilitas carnis non requiratur ad merendum de condigno docuerunt iam plures insignes Theologi, quos inter Vazquez tom. 2. in 1. 2. disp. 116. cap. 4. §. Ego quidem, n. 31. expresse docet statum carnis mortalis, & passibilis non esse necessarium, ad hoc, vt quis mereatur pro alijs, & sui ipsius nominis exaltationem. Inquit enim: *Primo si loquamur de merito, quo vnus alteri mereatur, aut etiam sibi mereri potest gloriam aliquam accidentariam, vt sui nominis exaltationem, &c. Existimo statum viatoris, accipiendum esse, vt accipiunt, Altifidiorensis, Alens. & Bonau. nempe, vt his qui actu beatus est, quamuis non sit in carne mortali per eam aëtiorem, quæ est viatoris, videlicet, quæ versatur erga Fratres mereri possit alijs, & sibi, vt dictum est, & ita Angeli per Custodiam hominum alijs multa dona mereantur congruè saltim, & impetratoriè, & sibi etiam nominis exaltationem; vbi statim citat D. Thom. in 2. dist. 5. q. 2. art. 2. & in 4. dist. 50. q. 2. art. 1. & quæst. 6. Sotum in 4. dist. 50. q. vn. art. 4. post 3. concl. Palatium, in 3. dist. 18. dub. 1. & Medi. art. 6. Vnde si Angelis Beatis hoc conceditur, nescio quo pacto de Christo, adhuc inter homines versante, negari possit. Dices quod Vazquez loquitur de possibili. Contra, quia dicit quod Angeli per custodiam hominum multa dona mereatur, quæ verba non possibilitatem sed factum sonant. Interper, si id possibile est, cur Christo denegandum, quandiu inter homines versabatur ardentissimæ charitatis opera exercendo? Nec valet si dicas, quod*

loquitur de merito impetratorio, quia ibidem cum Medina ait Vazquez, quæstionem esse de nomine: *An impetratio sit meritum dicenda? Quoniam ut aliquis aliquid mereatur, satis est, ut actione stultiss, & libera, ut per charitatem ergi fratres impetrare aliquid possit, ut sui nominis exaltationem, aut aliquid aliud accidentarie pertinetis ad suam beatitudinem, alijs vero alia dona spiritualia: ergo sibi, & alijs hoc modo merere potest siue condigne, siue congrue tantum, & impetratoriè, quale fuerit opus, videlicet aut dignum, aut congruum tantum.* Ad hoc autem parum refert status viatoris, ut Doctores, 1. opinionis defendunt, quia ut aliquid Beati impetrent, aut sibi, aut alijs, parum refert eos adhuc versari in carne mortali, & ex ea parte viatores esse: ergo talis status parum refert, ut opus Beati sit meritorium, aut sibi, aut alijs ut diximus. Hæc etiam Vazquez in quibus apertè fatetur meritum siue condignum, siue congruum ex parte immortalitatis, & impassibilitatis non repugnare in Beatis pro sui nominis exaltatione, & pro donis spiritualibus aliorum, quod si Beatis conceditur in cælo existentibus, cur non Christo Dño ante cælorum ingressum, & pro hominibus operanti in eorumque corroborationem in fide, Deique cognitione, leges sanctissimas decernenti?

Eadem doctrinam repetit Vazquez tom. 1. in 3. p. disp. 74. c. 1. §. 4. *Conditio, ubi dicit: Conditionem viatoris, si intelligatur ex parte carnis, & corporis mortalis nullo modo esse necessaria ad rationem meriti pro alio, licet necessaria sit ad merendum pro se dotes gloriæ; & disp. 76. cap. 1. n. 2. & 3. inquirens: An Christus post mortem potuerit mereri? Ita respondet: ego quidem fateor ita fieri potuisse, ut Christus in vita mortali usque ad mortem mereretur nobis redemptionem, eamque passioe sua consumasset. Nihilominus post mortem in aia vita eam quoque mereretur nempe si Christus adhuc in cælo opera virtutis, quæ ibi operatur Patri pro nobis offerret, aut si pro nobis in cælo oraret, ut aliqui asserunt. Ita tamen, ut merita huius vitæ usque ad mortem fuissent necessaria, sine quibus Deus non concederet nostram redemptionem, & quibus solum nostra redemptio promissa esset. Merita vero alterius vitæ necessaria non essent, sed supererogationis. Et in fine §. istius ait, quod licet status comprehensoris secundum corpus, & animam pugnet cum merito pro se ipso, non tamen pugnat cum merito pro alio, et à si i. le qui meretur omnino constitutus sit in statu comprehensoris. Hæc omnia Vazquez. Qui ideo negat mereri Christum in cælo*

caelo, quia non admittit ipsum ibi pro nobis orare.

Ex qua doctrina non solum deducitur efficax ratio pro nostra conclusione, sed ipsamet secunda pars minoris, nam si probabile est Christum pro nobis orare in caelo, & impetratoriè mereri, à fortiori multo magis probabile erit meruisse pro nobis per opera, quæ capit facere, & docerè post mortem vsque ad Ascensionè: ergo talia opera de condigno meritoria fuerè, multoque maiorè congruentiam habebant ad rationem meriti, quam opera facta in caelo ab ipso Christo Domino, tabindeque si licet affirmare Christum in caelo pro nobis impetratoriè mereri, licebit quoque asserere pro nobis meruisse per omnia opera, quæ fecit ante quam caelos ascenderet, quia si status comprehensoris secundum corpus, & animam non impedit actionem meritoriam, qua ratione in Christo illam impediuit, cui secundum Augustinum lib. 3. de libero arbitrio: cedere debemus quidquid vera ratione melius occurrerit, nam inquit. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias hoc Deum magis fuisse quam non fuisse.* Super quæ verba Scotus in 3. dist. 14. ait: *In commendado Christum malo excedere, quam deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere,* qua propter concedit Animæ Christi Domini summam gratiam possibilem ea solum ratione quia non repugnat, & quia redundat in excellentiam eius, quare ergo pariter non dicemus prædicta opera fuisse meritoria de condigno, siquidem hoc possibile fuit, & aliunde excellentiam Christi commendat. Et confirmatur quia ex hoc medio arguunt Theologi animam Christi non potuisse intelligere per intellectum in creatam, quia si hoc possibile fuisset defacto esset concedendum in Christo, cui non debet negari quæcumque excellentia possibilis: ergo si meritum de condigno non pugnat cum statu comprehensoris, & beatifico secundum corpus, & animam, & aliunde solum ex diuina ordinatione pendet acceptatio talium operum, quare dicemus talia opera non sic fuisse ordinata, & acceptata, à Christoque Domino oblata pro confirmatione nostræ salutis, & redemptionis conseruatione? Cum omnes alias circumstantias ad rationem meriti pertinentes habuerint.

*IDEM PUNCTVM, EADEMQUE DOCTRINA EX SCOTO,
& Diuo Thoma Suadetur secundo.*

Christus Dominus, secundum Scotum in 3. dist. 18. q. vnic. &
D.

D. Thom. q. 19. aliosque grauissimos Theologos, defacto ante mortem merebatur per actus fruitionis beatificæ: ergo etiã post mortem. Probatur consequentia, quia non videtur maior ratio, cur Deus acceptauerit tales actus beatificos portionis superioris ante, quam post mortem: ergo si isti ante mortem erant meritorij etiam post. Dices, quod ante mortem Christus non erat coniunctus cum ultimo fine secundum affectionem commodi, nec extensiuè beatus, benè vero intensiuè. Vnde cum esset passibilis secundum corpus, & portionem inferiorem partis sensitivæ animæ poterat mereri, etiam per actus beatificos. Caterum post mortem, iam erat totaliter intensiuè, & extensiuè in termino beatifico. Contra quia ex hoc solum sequitur post Resurrectionem non potuisse amplius pati, aut panare, non verò quod non potuerit mereri per actus charitatis, & Religionis. Deinde adhuc non erat coniunctus cum dextera Patris in Paradiso locali. Contra 2. Quia saltim inferitur Deū acceptasse, & ordinasse actum beatificum Christi portionis superioris, secundum quam, ita erat Christus Beatus, ac si non esset viator, nec talis actus beatificus pendebat à passibilitate: ergo si hoc ante mortem quare non post? Si peculiare præuilegium Christi ante quam passus fuisset, mereri per fruitionem beatificam, quare non post Resurrectionem, siquidem durabat via à Deo per David signata: Nec interest hic disputare an Christus meruerit per actum beatificum prout terminatum ad creaturas relucens in Verbo, an vero etiam prout terminatum ad ipsam Essentiam Diuinam? Inquit enim Scotus, quod utroque modo potuit fieri.

Probatur 3. ex Diu. Thom. 3. part. q. 56. art. 1. ad 3. vbi docet; quod Resurrectio Christi fuit causa efficiens, & exemplaris nostra Resurrectionis, non tamen propriè meritoria, quod idem docet q. 50. art. 6. de morte Christi in factio esse, de sepultura q. 51. art. 1. ad 2. scilicet nostram corporum physicam Resurrectionem, & Resurrectionem animæ à culpa, non meritoriè, sed efficienter curari, & effici per Resurrectionem, Sepulturam, & Mortem Christi in factio esse. Super quod Godoy, tract. 12. disp. 47. §. 8. q. 19. num. 86. ita dicit, *quomodo autem adlicentes, aut Passiones, quæ modo physice non existunt possint physice efficienter influere, in gentem habet difficultatem. Huius tamen loci non est, & ideo nec libet, nec vacat illam in præseni examinare.* Videantur Caiet. Medin. & Nazarius infra q. 50. art. 6. & Vincentius de Gratia Christi q. 6. pagina 817. *Nobis enim sufficit pro præseni difficultate, quod vulnus lateris Christi post mortem cum influxum habue-*

habuerit in Ecclesiæ Sacramenta, aut in illorum virtutem, quem Passio, sepultura, atque illius Resurrectio habuerunt in hominum iustificationem. Hæc Godoy, ex quibus sic: nostra Resurrectio, & introitus in Paradisū sunt per Christum in aliquo genere causæ: sed dicere, quod sunt per Christum in quantum Hominem in genere causæ physicæ, tam in gentem difficultatem involuit, quantam ipse Godoy fatetur in verbis allegatis, à qua ipse, quasi territus abstinuit. Non enim videtur intelligibile, quod causa, quæ physicè non existit (scilicet nunc sunt actiones, & Passiones Christi) possit physicè influere in aliquem effectum: ergo si ista difficultas vincitur ponendo Resurrectionem Christi, eiusque Ascensionem, ac vulnerationem fuisse meritorias de condigno. vt hucusque tuasum est, non erit, cur ad illam difficultatem ingentem transeamus. Si enim Christus ponendus est à fortiori causa nostræ Resurrectionis, & Ascensionis, & hoc verificari non possit satis congruè, in genere causæ physicæ, bene vero in genere causæ moralis, & meritoria, cur hoc non tenebimus? Quando ergo D. Th. dicit, Resurrectionem Christi non fuisse propriè meritoriam, potest intelligi quod non fuerit satisfactoria sicut alia actiones penales;

Dices non minus in intelligibile est quomodo mors Christi in facto esse, sepultura eius, & vulneratio possint se meritoria, de condigno cum non fuerint vitales, sed in corpore iam mortuo exercita. Respondeo in primis, quod nos solum intendimus probare, quod actiones Christi à Resurrectione, vsque ad Ascensionem fuerint meritoria de condigno, de sepultura enim eius, ac vulneratione distincta est difficultas; non enim deficiunt Theologi propugnantes vulnerationem Christi fuisse meritoriam, licet circa modum varient. Ego, semel statuto quod Christus fuerit intra vialem statum, vsque ad actualem ingressum cœlorum, dicerem non solum fuisse meritoriam, quia Christus illam dum viueret acceptauerit libere, sed etiam eo quod illud corpus erat vnitum hypostaticè Diuinitati, & anima eius ab ipso corpore separata, eidemque Diuinitati vnita actualiter videbat, & acceptabat vulnus, offerebatque blasphemias corpori pendenti in Cruce irrogatas pro nostra Redemptione, siue etiam compatiebatur de suo corpore perfrato, eo modo quo docet Subtilis Doct. in 3. dist. 15. q. vnica de Dolo, & tristitia animæ Christi: videatur ibi: de quo etiam redibit sermo supra dum de anima Christi in triduo mortis tractemus.

Proba-

Probatur 4. Et quidem utraque pars 1. discursus ex doctrina Scoti in 3. dist. 7. q. 3. & plurimum Sanctorum Patrum. Non peccante Adamo adhuc ex vi præsentis decreti veniret Christus in mundum, & mereretur nobis gratiam, & gloriam, sed non mereretur tunc nobis talem gratiam, & gloriam in carni passibili, & mortali, quia tunc non veniret passibilis, sed impassibilis: ergo etiã post Resurrectionem meruit sine passibilitate carnis. Maior, & minor negari non possunt in via Scoti, & Scottitarum, consequentia autem est legitima, quia Christus post Resurrectionem habuit eandem Impassibilitatem, quam haberet, casu quo Adam non peccasset: sed ista impassibilitas in illo euenta non obstaret Christo ad merendum: ergo nec post Resurrectionem obstavit.

Confirmatur, quia præsens decretum intentionum incarnandi fuit in Deo ante prævisionem absolutam peccati originalis: ergo erat infalibiler exequendum, alias mutaretur Deus: sed non in carne passibili, & mortali: ergo in carne impassibili, & immortalis: si ergo illa impassibilitas, & immortalitas, ut certò supponit Scotus, & cum eo Scottista non obstaret quo minus actus charitatis, & religionis Christi foret meritorij de condigno, licet non satisfactorij [quia isti requirunt passibilitatem, non verò illi] quare post Resurrectionem obstavit?

Confirmatur 2. Quia illud primum decretum incarnandi nõ fuit mutatum per prævisionem peccati originalis, imò dicerem, quod prævisio peccati solum fuit occasio suspendendi passibilitatem, & gloriam, ne supra corpus, & partem sensitivam animæ redundarent, non verò motivum Incarnandi absolute loquendo: ergo Christus, defacto habuit quidquid ex vi illius decreti fuerat intentum efficaciter; sed id erat quod haberemus gratiam, & gloriam per merita Christi: ergo, &c.

Confirmatur 3. Illud quod est prius in intentione, est posterius in executione: sed prius fuit intenta incarnatio in carne impassibili, & postea propter peccatum prævisum, fuit addita illa circumstantia passibilitatis: ergo in executione prius fuit incarnatio, & meritum eius in carne passibili executum, & postea illa intentio efficax Dei decretiva Christi impassibilis, & gloriosi. Et iste ordo patet ex Sac. Scriptura, quia prius fuit Christus passibilis inter homines, & sic ostenditur executio posterioris intentionis, & postea per quadraginta dies impassibilis cum eisdem hominibus conuersando, & sic manifestatur executio prioris decreti intentionis: ergo
hæc

hæc secunda manifestatio cum suis operationibus non fuit sine merito, sicut non fuisset ex vi eiusdem decreti deficiente peccato originali. Quot ergo rationes probant Christum venturum, & meriturum Adamo nõ peccante, suadent ipsum meruisse post Resurrectionem per opera, quæ cepit facere, & docere vique ad Ascensionem.

Idem punctum ex aliorum Theologorum doctrina probatur. In primis eximius Doctor Suarez, disp. 41. sect. 4. [citans Divi Thom. & Durandum] Pitigianus, Castillo, Vega in Tridentinũ, Chaterinus, Alensis, & Albertus Pigius: defendunt Christum meruisse nostram prædestinationem intentatiuam, & etiam Angelorum per merita præuisa ante præuisionem peccati, & Passionis Christi. Dicit enim Suarez, & bene *Quod in illo priori ad præuisionem lapsus Adami, & consequenter Passionis Christi, ipse Christus Dominus fuit volutus, & prædispositus, non solum, vt causa finalis, & exemplaris, sed etiam vt causa efficiens, & meritoria moralis omnium donorum supernaturalium.* Quo statuto ita immediate loquitur, inquirens quænam merita Christi potuerunt in illo signo præuideri, cum non potuerint in eo signo præuideri actiones, & passionem, quas habuit in mortali corpore? Et responder, *de hac re sæpe dictum est in superioribus. Quidam sentiunt fuisse merita Christi in communi, seu formaliter, non in particulari, seu materialiter prout per tales actus exercentur. Sed quia non recte tribuitur Deo hic modus confusæ cognitionis, melius dicitur in eo signo fuisse præuisa merita Christi per actum amoris Dei, & proximi, qui non dependet a corpore passibili.* Hæc Suarez. Ex quibus sic efficaciter: ante præuisionem Christi, vt passibilis fuerunt præuisa aliqua eius merita independentia à corpore passibili per actum amoris Dei, & proximi: sed talia merita necessario debuerunt habere existentiam, eo modo quo fuerunt præuisa independentem à corpore passibili, alias frustraretur præuisio Dei: ergo independentem à corpore passibili debemus dare merita de condigno in Christo Domino; sed Christus non fuit impassibilis, nisi post Resurrectionem, vel post mortem: ergo adhuc post Resurrectionem merebatur, amando Deum, & homines docendo, roborando, & confortando in cognitione, & obedientia Dei. Idem sequitur ex alijs Theologis citatis, nam si nostra prædestinatio intentiua fuit ante præuisionem peccati originalis, & aliunde per merita Christi præuisa ante tale peccatum: ergo ante præuisionem peccati, iam præuidebantur merita Christi efficaciter extitura, sed non

non merita Christi, vt passibilis: ergo merita Christi impassibilis consequenterque de primo ad vltimum debemus concedere in Christo merita independentia à corpore mortali.

Dices, quod merita præuisa, in illo priori, quæ ab Scotistis dicuntur merita secundum substantiam habuerunt existentiam dum Christus viueret in carne mortali, independenter tamen ab illa, quia consistebant in operatione beatifica Christi, prout terminata ad creaturas relucens in verbo, prout volunt aliqui, vel etiam prout terminata ad ipsum obiectum beatificum, vt probabiliter tenet Scotus, supra citatus. Contra, quia inquiri an illa merita fuerint præuisa, vt exercenda per animam corpori passibili unitam? Vel corpori passibili copulatam? Non primum, quia in illo priori non præuidebatur Christus, vt passibilis. Si secundum? Habeo intentum, quia tunc debuerunt elici in eo corpore sub eadem conditione quæ fuerunt præuisa. Contra 2. Quia, si habuerunt existentiam independenter à corpore passibili: ergo iam defacto das merita in Christo omnino independentia à passibilitate: ergo passibilitas non requiritur ad merendum. Deinde si Christus habuit meritum ante mortem independens à passibilitate, quare non post mortem? Ex his sufficienter ni fallor manet probata vtraque pars nostri discursus, & consequenter conclusio nostra.

PVNCTVM QVINTVM.

De anima separata intriduo?

DICO 2: Etiam probabiliter anima Christi intriduo separationis meruit. Probat ex dictis, quia ante mortem merebatur per actum Beatificum, siue terminatum ad essentiam Diuinam, siue ad creaturas in illa relucens, vtroque enim modo potuisse fieri docet Scotus, in 3. dist. 18. q. vnic. sed talis actus Beatificus nullatenus pendebat à corpore passibili: ergo si ante mortem fuit meritum in anima Christi, nullo modo pendens à corpore passibili, quare post mortem non? Siquidem durabat status merendi, & via ordinata à Deo, signataque per Dauid. Item, si talis actus ante mortem acceptabatur ad præmium, quare non post mortem, siquidem habebat quidquid habuerat ante mortem? Omnes ergo rationes, quæ probant primam conclusionem, suadent etiam secundam.

Confirmatur ex D. Bonau. in 3. dist. 22. q. 4. n. 29. vbi super illud Pauli expolians principatus, & potestates, ait, Quod anima Christi iuit personaliter ad inferos, propter consolationem, ibi detentorum, & victorum, & propter confusionē aduersariorum. Propter consolationem victorum, quia magna fuit eis consolatio in presentia ipsius Christi, & magna fuit eius dignationis ostentio ad eos personaliter descendere. Propter confusionem aduersariorum, vt ipsi demones confunderentur ex sua presentia; & sicut vicerat eos in terra, in natura assumpta, sic eius anima apud inferos, de eis triumpharet ipsos inuitos spoliando. Hæc Seraphicus Doct. ex quibus satis patet quantas, & quales congruentias habuerint opera illius animæ benedictæ, vt fuerint meritorea in illo descensu.

Dices, quod anima illa benedicta statim post mortem facta fuit omnino impassibilis: ergo non potuit mereri in illo triduo separationis. Contra, quia impassibilitas non tollit rationem meriti, vt constat ex dictis, si aliunde stet diuina ordinatio, nam etiam ante mortem erat impassibilis secundum portionem superiorē, & tamen secundum illam merebatur. Contra 2. quia idem Seraphicus Doct. in 3. dist. 21. art. 2. quæst. 1. inquirens an anima Christi statim post mortem fuerit facta impassibilis? Respondet: *Quod ex certitudine authoritatis non est omnino nobis determinatū, vtrum anima Christi sit, tim post separationem impassibilis fuerit effecta, sicut magister tangit dist. 18. vnde sine periculo Fidei potest quis vtrumque horum sentire, vel quod statim post separationem, vel in ipsa corporis glorificatione.* Verba autem Magistri tenent. citata à Seraphico Doct. sunt sequentia: *Vtrum autem anima sit facta impassibilis, quando caro facta est immortalis, scilicet ipso Resurrectionis momento? De Authoritate nobis certum non est, sed vel mox post carnis separationem anima impassibilitate donata est, aut in Resurrectione quando caro restoruit.* Si ergo sine Fidei periculo possumus dicere animam Christi secundum partē sensitiuam fuisse passibilem vsque ad Resurrectionem, & corporis glorificationem, quare etiam non possumus dicere meruisse in triduo separationis? Imò prosequitur Seraph. Doct. & ex hoc statim sequitur quod meruit in triduo, quia nulla passio potuit esse in Christo, nec ponēda in eius anima, quæ, à ratione meriti vacaret: ergo probabiliter, & secure possumus dicere animam Christi meruisse, & satisfecisse etiā pro animab⁹ separatis in illo triduo, sicut enim in corpore, & anima satisfecit Christ⁹, & redemit eos, qui in corpo-

re erant, ita nō videtur in consonū, quōd in sola anima animabus separatis aliquid redemptionis, & satisfactionis prestaret. Vnde tantam probabilitatem habet nostra opinio, ac sententia, quæ tenet animam Christi non fuisse vsque ad Resurrectionem impassibilem omnino.

Ex qua doctrina facile occurreretur illi difficultati, quæ inquit: An vulnus laterale Christi fuerit meritorium actualiter, & consequenter Sacramenta Ecclesiæ inde in genere causæ meritorie emanasse, vt passim loquuntur Sancti Pat. es, nam si anima Christi pro illo triduo non fuit facta impassibilis, quo ad partem sensitiuam, potuit habere compassionem de malis euenientibus suo supposito, de eisque trisari, quamuis non esset vnita corpori, sicut ego possum trisari de malis euenientibus alicui amico, vel denique aliquo alio modo ex quatuor assignatis ab Scoto in 3. dist. 15. q. vnic. n. 17. vbi § *Sic igitur, dicitur, prest dicitur quadrupliciter esse tristitiam ex disconuenienti proprie. Vno modo de simpliciter, obiecto, nolito actu, & habitu eueniente. Secundo modo de habitu, & actu nolito conditionaliter, licet tamen absolute volito contra inclinationem habitualem. Tertio modo, quia disconueniens voluntati, vt natura. Quarto modo, quia disconueniens appetitui sensitiuo, cui coniungitur voluntas non habituata ad oppositum vehementius, quam sit inclinatio eius ad appetitum sensitiuum.* Hijs quatuor modis secundum Scotum causatur tristitia in voluntate, scilicet ab obiecto disconueniente, nolito absolute, tam actualiter, quam habitualiter, & ab obiecto conditionaliter actualiter nolito, & ab obiecto disconuenienti voluntati, vt naturæ, & ab obiecto disconuenienti appetitui sensitiuo, cum quo voluntas rationalis habet connexionem, & sic tristatur de obiecto disconuenienti tali appetitui. Subindeque si Anima Christi erat passibilis in illo triduo sequitur, quod potuit siue absolute, siue conditionate mala nolle puta vulnerationis, iniuriationis, & tumulationis, vt disconuenientia suo supposito; & sic compati de illo vulnerato corpore in supposito Diuino, offerreque illud vulnus, & alia mala Deo Patri pro redemptione hominum. Potuit etiam de alijs malis, puta de carentia glorificationis sibi iam à corpore separate pro illo triduo contra appetitum naturalem eueniente. Hoc enim modo Beata Virgo Maria stabat iuxta Crucem videns, & offerens Deo Patri mala euenientia Filio suo benedicto, & sine dubio merebatur: ergo potuit similiter Anima Christi, licet separata à corpore.

Nec hac sola via possumus discurrere ad nostram conclusionem

nem suadendam, nam & si Anima Christi in illo triduo fuerit facta impassibilis, adhuc possumus dicere meruisse in tali triduo, licet non fatisset, quod suadetur 2. ex doctrina Vazquez tom. 2. in 1. part. disp. 216 cap. 4. n. 36. vbi sic dicit: *Nihilominus fatemur in Purgatorio posse animas per actum contritionis à culpa veniali purgari, & penas detentas persolvere, & pro debito illarum satisfacere: hæc enim duo non sunt idem, quod mereri vitam æternam, quia ad hoc solum deseruiunt, ut tollantur impedimenta, quæ retardant præmiæ consecutionem, id quod status beaticus ex sua natura postulat: Ex qua doctrina sequitur, quod etiam Anima Christi per descensum ad illas potuit pro eis mereri impedimenta auferendo, demones exterrendo, eorumque Principatus spoliando, qua enim ratione conceditur aliqualis ratio meriti, & satisfactionis animabus Purgatorij, & negabitur de anima Christi in triduo separationis?*

Dices ex Pitigiano super 4. Scoti dist. 21. q. 1. art. 3. vbi ponit hæc Scoti verba: *Qui noluerit admittere venialia dimitti solum per solutionem penæ, vel per merita facta in hac vita, & reserbata per diuinam acceptionem, ut remittatur, quo ad culpam in instanti mortis, difficile reperiet alium modum, quo talia venialia remittantur, nam ponere meritum de congruo, vel de condigno in anima post mortem, non videtur consonum doctrinæ Theologiæ, quæ ponit statum istum ab illis immunem.* Imò (ait Pitigianus) hæresis Lutheri damnatur ponentis animas in Purgatorio existentes non esse extra statum merendi, ac demerendi, ut videre est apud Castrum nostrum lib. 12. contra hæreses verbo, *Purgatio*, hæresi. 2. ergo hæreticum est dicere animas in Purgatorio mereri remissionem venialium. R. Scotum non loqui assertiue, sed iuxta opinionem tenentem passibilitatem carnis mortalis requiri indispensabilem ad merendum, quod satis denotatur in illis verbis: *Non videtur consonum doctrinæ Theologiæ, quæ ponit statum istum ab illis immunem.* Ad Pitigianum, & Castrum potest responderi, quod Lutherus ponebat animas in Purgatorio mereri vitam, vel damnationem æternam, quod est apperta hæresis. Vazquez autem solum dicit illas mereri non quidem vitam, aut mortem æternam, sed solum remissionem impedimentorum retardantium consecutionem beatitudinis.

Et certe à modo dicendi Vazquez, parum distare videtur Durandus in 4. dist. 21. q. 2. quem secuntur Fasolus, & Almainus dicentes veniale peccatum, quo ad culpam remitti post hanc vitam morienti in gratia, & charitate per aliquem actum bonum

conuersionis animæ ad Deum, & detestationis peccatorum venialium. Ita vt anima statim post separationem possit habere seruētem dilectionem Dei, & contritionem perfectam omnium culpæ præcedentium. Quem dicendi modum valde probabilem vocat Pitigianus. Et si dicas, quod tunc contritio posset esse ex maiori conatu, quam in vita mortali, in qua talis potest esse contritio. quod mereatur remissionem culpæ, imò, & pænæ totius: ergo non erit cur anima detineatur in Purgatorio, sed statim poterit ad cælum evolare, si talem contritionem ibi possit habere. Respondet idem Pitigianus, id non sequi propter diuersitatem status, talis enim contritio licet sit bona, moralis, libera, & supernaturalis, non tamen meritoria propter defectum status, & acceptationis Dei. Sed hoc non bene intelligitur, nam si remittuntur talia venialia propter contritionem, moralem, liberam, & bonā, non capio, quomodo talis contritio à ratione meriti vacare possit totaliter, maxime in opinione asserente ad meritum non requiri acceptationem Dei. Aliter ergo dicerem, quod talis contritio post mortem facta non sufficit pro remissionem culpæ, & pænæ sicut in vita mortali, tum quia Deus non tanti acceptat opera facta post hanc vitam, quia anima in Purgatorio iam non operatur ex fide ipsius Purgatorij, & forte nec inferni, & consequenter eius contritio ibi non est ita valorosa, nec apreciabilis, sicut in via, non tamen redditur omnino vacans à ratione meriti, sicut enim vnus actus charitatis intensus in hac vita potest æquivalere pro innumeris actibus remissis, non tamen ob id actus remissi, à ratione meriti omnino vacant; ita fortè in præsentem posset dici. Ultra hoc animæ in Purgatorio sunt certa de sua salute, ac saluatione, ante quam enim mittantur in Purgatorium examinantur defactis in vita mortali, & sic iam minuitur in eis fides. An autem tales animæ habeant prædictum actum contritionis in instanti mortis, quando examinatur de proprijs factis, an vero postea in ipso Purgatorio nõ disputo, vtrumque enim videtur possibile.

Probatur 3. quidquid ergo sit de animabus Purgatarij dispar omnino ratio est de anima Christi in triduo separationis; tum quia nõ, est certū, an tunc fuerit impassibilis; tum quia merebatur per actus Beatificos ante mortem à corpore passibili nullatenus pendentes: ergo, & in illo triduo, siquidem durabat status prædefinitus ad complendum munus redemptionis. Et sic peculiare fuit in ea id, sicut etiam mereri sine fide, imò probabiliter sine spe, quod

quod, priuilegium nulli alteri animæ fuit concessum. 4. Suadetur idem Punctum ex Scoto pluribus in locis. In 3. enim dist. 18. q. vnic. ait: Angelos beatos per custodiam hominum posse mereri aliquod accidentale præmium; & in 2. dist. 5. q. 1. n. 4. §. *Ad argumenta*, ait: *Ad primum conceditur, quod Angeli per illa obsequia mereantur aliquam beatitudinem accidentalem.* Et paucis interpositis, ait: *Et modo, quo mererentur beatitudinē accidentalem, concedo, quod non habent illam, quando merentur; nec ex hoc est afflictio, quia habent beatitudinem essentialem, quam maxime volunt.* Et in eodem 2. dist. 7. q. 2. §. *Ad secundam questionem*, n. 26. idem docet per hæc verba: *Ad aliud respondetur, quod beati non possunt mereri beatitudinem essentialem, nisi forte ex actibus bonis mereantur beatitudinem accidentalem*: ex quibus sic: si Angeli per obsequia erga homines, & animæ beatorum in cælo existentes merentur accidentalem beatitudinem, qua ratione hoc poterit denegari Animæ Christi, antequam cælos ascenderet, tantaque obsequia, tam erga homines existentes in hac vita, quam in Purgatorio operanti? Si ergo in patria existentes aliquid saltem imperatoriæ, multo fortius Anima Christi adhuc operans intra viam merebatur de condigno.

Dices ex hoc nihil probari, alioquin sequeretur beatos merituos in æternum, quod est absurdum. Ad hanc replicam respondet Incognitus super Psalm. 30. probando beatos in cælos pro nobis orare ex illo ad Hebr. 7. *Accedens ad Deum semper uiuens ad interpellandum pro nobis.* Et ex illo Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paracliticum dabit vobis.* Hæc de Christo. De alijs autem beatis manifestè (inquit) apparet, quia Ecclesia illos interpellat dicendo quod orent nobis; idemque per duplicem rationem ostendit, Prima est, quia Christus, & cæteri beati vidēt nostram necessitatem, qua indigemus ab eis releuari. Secunda, quia beati per inuicem sunt membra sollicita, & ideò cum sint nobiscum vnum Christi corpus nos debent adiuuare. Et si contra dicas ex Anselmo, in Prologo, quod beati erunt omnipotentes suæ voluntatis sicut Deus suæ, vnde aut volunt, aut non? Si non? ergo non orant pro nobis. Si sic? ergo cum nullus oret alium facere, quod ipse immediate efficere potest, vel non orant pro nobis, vel non sunt suæ voluntatis omnipotentes. Respondet ipse Incognitus, quod voluntas duplici modo operatur, scilicet actum proprium intrinsecum, qui est velle, & nolle, & in hoc sensu potest quidquid vult; aut actum alienum, & extrinsecum, vt volo te facere hoc, & sic non potest omne

omne quod vult. Vnde Anselmus intelligitur de actu proprio intrinseco, non vero de alieno, & extrinseco. Oratio autem beatorum non est respectu actus proprii, sed respectu actus Dei ut nos saluet. Sic beati alia volunt sibi, alia vero alijs: habere quidquid volunt sibi pertinet ad statum beati; habere autem omne quod volunt alijs non est de substantia beatitudinis, sed de bene esse. Et hoc solum erit, quousque omnes electi sint glorificati, tunc enim quilibet habebit plenè quod vult sibi, & alijs; & tunc erit plena beatitudo. Nunc enim orant pro se, & pro alijs, sed consumato beatorum numero, nec pro se, nec pro alijs orabunt. Hæc Incognitus inter alios plures Authores. Ex quibus neganda venit sequela, ut sufficienter patet.

Inquires, si Christus orat pro nobis in cælo, quare non dicimus Christe ora pro nobis, sicut de Beata Virgine, & alijs Beatis? Respōdeo cum Incognito hoc esse propter errorem Arrianum vitandum, ne videamur Christum puram creaturam credere, & eius potestatem minuere, qua potest omnia in quantum Deus, & ideo potius eius miserationem petimus, quam orationem, idque oramus.

Ex qua doctrina non solum solutio data sequitur, sed etiam fundamentum Scoti ad asserendum beatos per honos actus mereri beatitudinem accidentalem. Secundo, quod si orare pro nobis in cælo est mereri saltim impetratiuè, vel de congruo, ut volunt plures Theologi, imò de condigno, ut arguebat Vazquez, sequitur quod plus merebatur Anima Christi in triduo, plus enim, quam de congruo, & impetratorie consequenterque de condigno.

5. Suadetur, idem punctum, ab autoritate 1. Petri. cap. 3. ubi sic: *Christus semel pro peccatis mortuus est; iustus pro iniustis, ut nos offerree Deo mortificatos, quidem carne, viuificatos autem spiritu, in quo veniens prædicauit his, qui in carcere erant spiritibus.* Sensus enim proprius posteriorum verborum, inquit Pitigianus, videtur esse, quod Christus in sola anima prædicauit, ac simul contulit æternam gloriam spiritibus, qui in carcere Limbico erant detenti. Adducit que Pitigianus Cyrilum Alex. lib. 12. in Ioan. cap. 36. & lib. 1. ad Reginas factis post medium. Et lib. de fide ad Theodosium propè medium; ubi introducit Christum dicentē compeditis: *egredimini, & existētibus in tenebris reuelamini.* Idem Nizcf. Constant. Epist. ad Leonem Pap. quæ habetur in Synodo Ephes. tom. 5. cap. 22. iuxta finem, dicens, animam Christi prædicasse spiritibus Resurrectionem

nem, libertatem, & redemptionem impertiuiffe. Idem sentit Iri-
neus, contra Hærefes cap. 45. Damasc. lib. 3. ac denique Cle-
mens Alex. lib. 6. si ergo ibi descēdit, & prædicauit anima Chris-
ti modo spiritali, quali congruebat animabus separatis; cur ta-
lis prædicatio non fuisset meritoria? Si namque meritum tunc
possibile fuit, siue illa anima benedicta esset tunc impassibilis, siue
non, cur ei denegabimus rationem merendi, cum nullum ex hoc
inconueniens sequatur, vt ex solutione argumentorum patebit!

PUNCTVM VLTIMVM. ARGVMENTIS OCCVRRITVR.

PRimo arguit Suarez hanc doctrinam esse contra torrentem
Theologorum: ergo non admittenda. Consequentia pa-
cet, quia in materia dogmatica sine autoritate alicuius
probatu Authores singulariter loqui temerarium est. Res-
pondeo, quod licet nullus [quem viderim] Theologus sub his nos-
tris terminis, hanc sententiam defensauerit: implicite tamen to-
ta hæc doct. continetur in principijs Theologorum, vt ex proba-
tionibus patet. Vnde quia nullus Theologus in sensu nostro illam
disputauit, fit hinc, non esse contra vllam. Dato tamen, & non
concesso, quod esset contra torrentem Theologorum non statim
sequeretur esse temerariam, nisi aliunde careret autoritate, &
ratione; plures enim opiniones probabiliter quotidie defensan-
tur, tanquam tutæ, quæ tamen videntur esse contra torrentem
Theologorum antiquorum; subindeque argumentum est ab au-
thoritate negatiua. Nec refert, quod Suarez disp. 39. appellet
temerariam sententiam sustinentem Christum post mortem me-
ruisse, quia Vazquez citatus oppositum fatetur. Subindeque si
censura ista valeret temeraria quoque foret sententia asserens
beatos mereri gloriam accidentalem per obsequia erga viatores,
& animas in Purgatorio remissionem peccatorum venialium,
quo ad culpam, modo dicto a Vazquez. Addo, quod ipse Suarez
à fortiori debet fateri probabilitatem istius sententiæ, siquidem
admittit merita in Christo Domino defacto nullo modo depen-
dentia à carne passibili. Vt puncto 4. dictum est.

Secundo arguit idem Suarez, & est præcipuum fundamen-
tum oppositæ sententiæ (teste ipso) quia ex generali lege à Deo
statuta constat, quod homines quandiu sunt in hac vita possint
mereri, & non ultra; quod probat ex Ecclesi. 6. *Quod cumque potest*
agere

agere manus tua instanter operari, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia est apud inferos, quo tu properas. Et cap. 11. Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. Et cap. 14. Ante obitum para iustitiam. Et cap. 18. Ante iudicium para iustitiam tibi, ne verearis iustificari vsque ad mortem. Secundo probat ex D. Paulo 2. ad Corinth c. 5. vbi licet: Vnumquemque esse iudicandum, prout gessit in corpore, sed si post mortem posset anima mereri non solum prout gessit in corpore, sed etiam prout gessit extra corpus, esset quisque iudicandus; quod est contra Paulum. Item 1. ad Corint. vocat: Hoc tempus acceptabile, & diem salutis: vbi Hieron. exponit: Tempus sementis est presens vita, quam currimus, cum ista vita transferit, tempus operandi aufertur: ergo finita hac vita finitur status merendi.

Ad has, & similes autoritates, quæ directè militant etiam contra eos, quid dicunt animas separatas à corpore post hanc vitam mereri remissionem culparum venialium, & beatos gloriam accidentalem, potest responderi, iuxta Vazquez, quod meritum est duplex aliud respectu gratiæ, & tale in hac vita solum potest haberi: aliud respectu impedimentorum retardantium fruidionem beatificam; & istud poterit haberi post mortem aliquo ex modis dictis puncto præcedenti, subindeque prædictæ autoritates intelligentur de merito, primo modo sumpto, non vero de illo secundo modo accepto. Quæ responsio habet locum in Doct. Scoti in 3. dist. 18. vbi tenet quod Christus solum indirectè meruit sui corporis glorificationem; subindeque meritum Christi primario, & directè non respiciebat gloriam sui corporis, sed suspensionem decreti, quo Deus impediabat gloriam animæ, ne supra corpus redundaret. Ex quo sufficienter euitatur error Lutheri ponentis animas in purgatorio posse mereri, ac demereri gratiam, & gloriam. Nec esse ibi securas de sua salute, semperque ibi peccare, vt videri est apud Castrum lib. 12. verbo: Purgatorium. Hæres. 1. 2. 3. & 4. vnde firmiter credendum est, quod qui in hac vita gratiam, & gloriam non meruerit, nullo modo eam in futuro sæculo mereri poterit; & sic saluantur Scripturæ, Patres, & Concilia. Etiam prædicta responsio potest confirmari ex illo Pauli 1. ad Corinth. cap. 3. super illud: Qui edificat ligna, fanam & stipulam, per quæ intelliguntur venialia, ait Paulus: Si cuius opus manserit, quod super ædificatur mercedem accipiet: si cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse autem saluus erit. Ly enim detrimentum patietur, idem est ac visionis beatificæ retardatio, quæ aufertur secundum Vazquez, tolerando p-

nam ignis purgatiui patienter, & satisfactoriè.

Quod autem venialia demittantur post hanc vitam, quo ad culpam probat Castro citat. ex illo Matthæi cap. 12. *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, nec in hoc sæculo, nec in futuro.* Quibus verbis, ait, Castro satis apertè innuit aliquas esse culpas, quæ in alio sæculo remittuntur. Nam si nulla culpa in alio sæculo remitteretur, quid opus erat addere, nec in futuro? Satis enim erat dicere non remittetur ei in hoc sæculo. At cum nullum verbum fuerit otiosè, aut frustra dictū à Christo conuincitur ideò illam particulam esse additam, propterea quod aliqua culpæ in hoc sæculo omnino dimittantur aliqua vero idest veniales in alio sæculo, cum pro illis in hac vita non fuerit satisfactum. Hæc Castro, Fateor tamen hinc non conuinci certò an ibi demittantur per meritum, an vero per satisfactionem.

Cæterum quidquid sit de hoc si probabile est de alijs animabus post separationem à corpore mereri, multo magis de Anima Christi in triduo separationis.

Respondeo tamen directè, quod nec Christus, nec eius anima in triduo comprehenditur sub illa generali lege, nec prædictæ auctoritates de Christo intelligendæ sunt, benè verò de omnibus alijs hominibus. Sed contra hanc exceptionem, quæ Suarium non latuit, ait ipse eam esse plusquam temerariam, quia contra torrentem Theologorum, & expressum Canonem Scripturæ, sine vlla Ecclesiæ, aut Patrum autoritate, imò contra Patres exponentes illud Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.* Vbi per noctem intelligunt Patres mortem; Christus autem loquebatur de seipso: ergo se sub illa generali lege comprehendit. R. quod prædicta exceptio nullo modo est temeraria, nec contra Theologos, aut Patres, cum ex Scriptura, doctrina Patrum, & fundamentis Theologorum directè inferatur. Nam si Anima Christi ante mortem erat intensiue beata, & prout beata merebatur de condigno, quare non post mortem? Et si secundum Suarium habuit defacto merita nullo modo dependèntia à corpore mortali, quare post mortem erit temerarium, quod habuerit huiusmodi meritum per tam inefabilia opera? Item si status passibilitatis non requiritur nisi ex ordinatione diuina, quid implicat quod hoc Deus ordinauerit cum Christo, & non cum alijs hominibus, siquidem in excellentiam Christi ordinauit quid quid possibile est, & excellentiam importat?

2. inſto: ſi Chriſtus ob excellēciam ſuæ perſonæ excipitur ab his legibus generalib⁹ ſtatutis à Deo: Quod nullus in inſtanti ſuæ Conceptionis mereatur; quod nullus ſit ſimul comprehenſor, & Viator; quod nullus factus animeatur ante quadraginta, vel ſexaginta dies, iuxta varias opiniones: Quod nullus ſine fide mereatur, nec n. ſi ex fide iuſtificetur: Quod nullus habeat Beatitudinem niſi præcedentibus meritis propriis, vel ipſius Chriſti. Quare non ab illa? Si Elias, & Enos merentur de facto ſine paſſibilitate proxima, quare non Chriſtus poſt mortem inter viatores exiitens, & viam ſignatam à Deo per David? Item inſto 3. quia ſi prædictæ authoritates deberent præciſſe intelligi in ſenſu à Suarez intento proculdubio damnarent Magiſt. Sentent. & D. Bonau. dicentes non eſſe omnino ab authoritate determinatū an anima Chriſti fuerit effecta impaſſibilis in inſtanti ſeparationis, an vero in momento Reſurrectionis? Et quod ſine periculo fidei poſſit quis utrumque ſentire. Ex quo arguit Seraph. Doct. quod ſi teneatur illam non fuiſſe impaſſibilem vſque ad Reſurrectionem ſtatim ſequitur, quod meruit in triduo, quia nulla paſſio eſt ponenda in Anima Chriſti, quæ à ratione meriti vacare poſſit, quæ inquam ſecuritate poſſet hoc dicere, ſi ab autoritate certum eſſet Animam Chriſti poſt mortem nihil amplius meruiſſe?

3. Directè poſſumus dicere, quod illa authoritas: *Venit nox quando nemo poteſt operari* poteſt intelligi de merito ſatisfactorio Chriſti, habito in corpore paſſibili, & ordinato in ſatisfactionem diuinæ offenſæ, & in præmium redemptionis noſtræ, quod inde ſpè ſtabiliter petit fieri cum paſſibilitate corporis iuxta Sententia D. Bonau. non vero de merito, quo ad totam Incarnationis economiam. Vnde ſenſus erit: *Me oportet operari, donec dies eſt*, opera à Patre ordinata in meo corpore paſſibili circa redemptionem hominum: *Venit nox*, id eſt mors, quando nemo poteſt redimere, nec ſuam, nec alterius animam à ſeruitute diaboli. Hinc tamen non inferitur poſt Paſſionem conſumatam non potuiſſe Chriſtum habere alia merita reſpectu maioris ſui nominis exaltationis, & hominum redemptorum confirmationis in fide, qualia ſunt quæ cæpit facere, & docere poſt Reſurrectionem ſuam.

4. Denique poſſumus dicere, quod *ly donec dies eſt* ſignificat tempus merendi, quod tandiu durauit in Chriſto, quandiu Deus ordinauit iuxta reſtimonia allegata. Imò ipſe Chriſtus hoc videtur expreſſiſſe, nam immediate poſt quam dixit: *Venit nox, quando nemo poteſt operari*: ait: *quandiu ſum in mundo, lux ſum mundi*. Nota quod non

non dixit quandiu sum mortalis, sed quandiu sum in mundo: ergo toto tempore, quo Christus fuit in mundo meruit, quia per opera sua lux erat mundi, *ly Venit nox*, significat terminum merendi sumpta metaphora à die, in quo homines laborant, & à nocte in qua à labore quiescunt, & sic sensus erit me oportet operari, donec dies operandi dispositus à Patre durat. Ille autem dies ille est, de quo canit Dauid: *Exultauit ad currendam viam*, &c. nimirum ab instanti Conceptionis vsque ad Crucem passibiliter, à Cruce vsque ad Ascensionem sine passibilitate. Ex quo Cyrillus, ait: *Cum Christus Incarnationis economiam consumasset calos ascendit*. Et Paul. *Sedet in dextera Dei de cetero spectans, donec ponantur inimici eius. sub pedibus eius*. Et Chryf. *Christus ascendens in Cælum nostræ naturæ primitias obtulit Patri, & oblatum donum miratus est Pater, quod tanta dignitas offerebat*. In quo denotatur oblationem Christi fuisse consumatam, quando dexteram Patris tenuit, & regressus fuit ad locum vnde exierat.

Quod adhuc confirmari potest ex D. Paulo loc. cit. vbi post prædicta, verba subiungit: *Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, eicit Dominus, dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum sepe scribam eas, & peccatorum, & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius, vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato*. Proprius enim sensus videtur esse, quod transacta Passione, in qua Christus consumauit redemptionem hominum per dies illos 40. apparens & apperendo eis Scripturas, scripsit leges Dei in cordibus eorum, & eos in gratia confirmauit. Quo facto dixit: *Iam non est oblatio pro peccato*. Nota, quod non dixit absolute, iam non est oblatio, sed restrictiue pro peccato, ac si diceret, oblatio adhuc durabit, sed non pro peccato redimendo.

Quoniam autem Suarez dicit prædictam exceptionem esse contra expressum Canonem Scripturæ. Oportet videre, quid Patres dicant super illum locum. Noster Castro citatus sic ait: *Aduertendum est quod non dixit: Venit nox quando ego non possum operari; sed ait (vt in vniuersum de omnibus loqui videatur) Venit nox quando nemo potest operari*. Augustinus adductus ab ipso Castro loco cit. sic dicit: *Operetur ergo homo dum viuit, ne illa nocte præueniatur vbi nemo possit operari. Modo est, vt operetur fides per dilectionem: & si modo operamur, hic est dies, hic est Christus* Ecce quomodo loquitur de tempore credendi per dilectionem in Christum, qui est dies, & lux ad operandum, & ideo vt ait Augustinus parum infra: *Ipsè dixit ecce ego vobiscum sum*. Chrysofomus Homil. 55. sic ait: *Sanè magnum hoc est, donec dies est, dum licet*

licet hominibus in me credere. Nam hæc durat vita laborandum est, Venit
 nox, hoc est futurum tempus, quando nemo operari potest, & non dixit, quan-
 do non potero operari, sed nemo potest operari. Et parum infra ait: Christus
 mortem futurum tempus appellat, quando peccatores nihil operari poterunt.
 Item Hieronym. super prædictam locum adducit verba supra po-
 sita, & postea addit, Unde, & saluator ait: operamini dum dies est, Venit
 nox quando iam nullus poterit operari. Hæc autoritates aperte viden-
 tur excludere Christum ab illa generali lege, Quod nullus post mor-
 tem mereatur: ergo Christus quando dixit, Venit nox, &c. Non de
 seipso loquebatur, sed de peccatoribus. Quomodo ergo expresse
 comprehendit Christum, vt dicat Suarez prædictam exceptionē
 esse contra expressum Canonem Scripturæ? Et Scotus in 3. dist.
 17. q. 2. ad 2. ait, quod eadem autoritas potest exponi partim
 de capite, partim de membris. Ex his patet ad omnes alias autho-
 rites quæ aduci possunt, & simul quod status merendi de condi-
 gno in Christo fuit latior, quam in suis membris.

Arguitur 3. Passio Christi fuit superabundans pro quocumq;
 præmio possibili, ac confirmatione hominum in fide: ergo super-
 fluum est ponere meritum in operibus eius post consummatam
 passionem. Respondeo hoc argumentum manifestas pati instan-
 tias, in alijs operibus Christi ante mortem factis, quorum quodlibet
 erat sufficiens pro quocumque præmio possibili: ergo super-
 fluum fuit Christum mori? Non sequitur, quia licet quælibet
 sanguinis eius gutta sufficeret, voluit tamen Deus acceptare eius
 mortem, vt copiosa esset Redemptio. Respondeo tamen, 2. quod
 passio fuit superabundans pro satisfactione peccatorum nostro-
 rum, quæ secundum Doct. Seraph. debet fieri per opera pænalia;
 & maxima satisfactio per opera maximè pænalia, qualia fuerunt
 in morte Christi. Cum hoc tamen optimè stat, quod per opera
 facta post Passionem meruerit ad copiosius complementum, ro-
 borationis, & confirmationis redemptorum in fide sui nominis.
 Et sicut non obstante, quod quodlibet opus Christi in carne pas-
 sibili, esset sufficiens, & superabundans pro nostra redemptione,
 tamen Deus defacto voluit Passionem; ita in nostro casu.

Hæc Doctrina potest etiam confirmari ex D. Thom. 3. part. q.
 65. art. 6. vbi assertit rationem, quare Christus septem Sacramen-
 ta nouæ legis, & non plura instituerit? Quia, inquit Angel. Doct.
 in natura humana septem reperiuntur. 1. Generatio, naturæ 2.
 Roboratio illius iam genitæ 3. Cibatio 4. Medicinatio, 5. Pur-
 gatio

gatio 6. cōmunicatio potestatis ad regimē commune 7. bonū
 prolis. Sic ergo in esse supernaturalis regenerationis, alia septē
 inueniuntur 1. esse supernaturale per regenerationem Baptisma-
 lem. 2. Confirmatio illius per Sacramentum Confirmationis 3.
 Cibatio per Eucharistiam. 4. Medicinatio per penitentiam, &
 sic de alijs Sacramentis. Si ergo in administratione vitæ super-
 naturalis talis proportio, & ordo reperitur, quare non in meri-
 tis Christi? Siquidem 1. esse supernaturale potest secundum præ-
 dictum ordinem correspondere passioni Christi, cui principaliter
 tribuitur nostra supernaturalis regeneratio. Alijs vero me-
 ritis post Passionem respondeat confirmatio in Fide, commu-
 nicatio potestatis. &c. Vnde de Latere Christi fluxere sanguis, &
 aqua, quibus significabatur Sacramentum Baptismi, & peniten-
 tiæ, quæ dicuntur Sacramenta mortuorum, quia viuificant ho-
 mines mortuos per peccatum; & ita gratia correspondens his Sa-
 cramentis est simpliciter necessaria: gratia vero alijs Sacramen-
 tis correspondens necessaria simpliciter non est: ergo similiter
 ex parte Christi meritis nobis has gratias poterunt aliqua meri-
 ta simpliciter necessaria, & alia non simpliciter assignari, vt dif-
 furrebat Vazquez.

Arguitur 4. Sequitur Christum nunc in cælo mereri, quia ibi
 operatur pro nobis, & opera eius habent omnes cōditiones, quas
 habebant post Resurrectionem, quod videtur inconueniens. Ne-
 go sequellam, quia status vialis Christi solum signatur ab egressio-
 ne, vsque ad cæli ingressionem: vnde Ecclesia petit misericor-
 diam Dei per admirabilem Ascensionem Christi, non tamen
 per sessionem eius ad dexteram Patris. Vtcrius opera Christi
 ante Ascensionem circumstantias valde congruentes, vt accepta-
 rentur à Patre, tamquam meritoria de condigno habuere, quia
 præter quam quod erant opera charitatis pro consolatione, &
 confirmatione hominum destinata, de illis fit particularis mētio
 in Scriptura. Quæcumque autē scripta sunt ad nostram salutem
 scripta sunt; cum ergo opera Christi facta post mortem acuratè
 referantur in Scriptura, & aliumde intra viam signatam pro
 Christo, & à Christo currendā, sequitur quod fuerint meritoria.

5. Arg. Vna ex rationibus quare Christus post mortem me-
 ruit est, quia secundum Scotum ante mortem merebatur per actū
 beatificum, sed Scotus 3. dist. 18. q. vnic. dicit, quod Christus
 ideo meruit, seu potuit mereri per talē actū beatificū, quia erat
 simul

simul viator, & cōprehensor, & consequenter talis actus erat aliqualiter personæ passibilis: ergo dicere quod Christus meruit post mortem sine passibilitate est contra Scotum. Respondeo negando consequentiam, quia ibi Subtil. Doct. assignat duplicem rationem: vna est, quia ille actus erat aliqualiter personæ passibilis, videlicet, quia animæ Christi, licet intensiue frueretur, non tamen habebat totam extensiuam beatitudinem: Secunda, quia Christus non merebatur pro se, sed pro alijs principaliter. Quilibet autem est sufficiens ad rationem merendi, & quamuis in morte deficeret prima, non tamen secunda. Posse autem meritum esse in anima absque passibilitate omnino, apertè docet Scotus locis à nobis adductis. Et in reportariis super dist. 7. 3. lib. ait, quod nō peccante Adamo adhuc Christus veniret, & esset principalis inter viatores; non ergo esset viator respectu gloriæ, & impassibilitatis suæ, sed tantum respectu gratiæ, & gloriæ hominum. Hac enim ratione defenditur actum beatificum Christi in hac vita fuisse meritorium, quia licet cōparatiuè ad gloriam essentialem animæ Christi esset in termino, tamen comparatiuè ad gloriam, & gratiam hominum, pro quibus merebatur, & respectu gloriæ sui corporis erat in via. Hoc etiam docet Scotus quando in 2. dist. 5. q. 1. dicit, quod beati prout merentur beatitudinem accidentalem, non habent illam; quod est dicere apertè, quod sunt in via respectu illius gloriæ accidentariæ.

His addo Sacramenta in meritis Christi fundari, & eorū virtutē de latere Christi pendentes in Cruce fluxisse: Dicente Leon. Pap. Ep. 4. cap. 6. *Tunc regenerationis potentiam sanximit, quando de latere eius fluxerunt sanguis redemptionis, & aqua Baptismi*: quæ verba satis difficulter explicantur a negantibus meritum Christi post mortem: in nostra autem via nulla explicatione egent.

Ex dictis, infero 1. Quod status merendi pro Christo dispositus à Deo in triplici differentia fuit. Primus merendi satisfactoriè, qui tandiu, quandiu passibilitas durauit: Secundus merendi de condigno, qui vsque ad Ascensionem: Tertius denique impetrandi condignè, & iste vsque ad finale iudicium, siuè electorum consumationem durabit.

Infero 2. Quod etiam status merendi pro nobis ordinatus potest multiplex esse. Primus merendi de congruo correspondens via purgatiuæ quandiu homo disponitur ad primam gratiam regeneratiuam: Secundus merendi condignè augmentum gratiæ,

&

